

II d
1592

Ad
VALEDICTIONES
DISCIPULORUM NOSTRORUM,
INFRA NOMINATORUM,
DIE CRASTINO,
POST OCTAVAM MATUTINAM,
IN
AUDITORIO MAJORI,
MORE SOLENNI
HABENDAS,
VENERANDOS DNN. INSPECTO-
RES, PATRONOS, FAUTORESque
STUDIOSÆ JUVENTUTIS
FERAMANTER
INVITAT
M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold R.

CYGNEA,
PRELO FRIDERICIANO.

Proscriptio Geographica in
Lusitania, Hispania Galliaq; reta





Agnum illud literarum fidus, Desiderius Erasmus, ausu prorsus heroicō, velut alter Hercules, etiam proverbiorum emensus est Oceanum, collectis quatuor Chiliadibus seu Millenariis (quinta enim inchoata salem duas habemus Centurias) in quibus singulari diligentia, veterum monumenta pervolvens, opus denique, quod omnium comparationem vinceret, unde tanquam ex fonte perenni ora doctorum rigantur, compofuit, absolvit, & de singulis docte ac scite explicavit. Cum vero de hujus instituti natura, bonitate, præstantia, moderato uſu & studio multa sapienter esſet præfatus, fundumque paremiarum in re ipsa, in Similibus, in animantibus, in personis Deorum, fabularum, comediarum, historiarum, in gentibus, postremo in officiis indicasset; de locis tamen terrarum, qui uberrimam in hoc genere materiam, & copiam non penitendam præbent, omisit dicere. Quare ego nunc commentariis Erasmianis insitam, & proverbiorum Geographicorum, tum veteri, tum recenti memoria uisitorum, numerum hac occasione percensebo; non nihil, ut spero, ad industriam tantu viri illustrandam momenti allaturus. Placet autem hac vice duntaxat, ne sine ordine aucta certa lege decurrat labor, Lusitaniam, Hispaniam, Galliamque in scenam producere.

Amant Portugallenses Nobiles de Capite Bone Spei appellari; siquidem illud Promontorium prætervecti, cum alias anhelarent nobilitatis decus, jam quasi rebus magnis peractis, & littore tam oportati atque auspiciati loci, ut nautis creditur, potiti, Domini cum excellentia nota volunt salutari. (1) Provincia Transtagana apud eosdem Lusitanos, quod omnibus terræ proventibus superfluit, Portugallie Thesaurus frumentarius; Interamensis propter jucunditatem suam, voluptas & meditullum Portugallie, audit. De Ulyssipone id vulgo prædicant: Qui non vidit Lisbonam, non vidit rem bonam. Eminet enim haec urbs metropolis inter omnes reliquas regni Lusitanici, cum in ejus finu, dicente Scaligero, tota India conficiatur, interiorque magnificentia & amplitudo nulli urbium Europæ cedat.

Jamdudum & pluribus seculis Hispanorum affectata gravitas in proverbium abiit, quando superbos mores, elationem animi, odiosam ostentationem, jaſtantiam molestissimam, paucis, ventosum hominem, describimus. Haec enim vita granditate Hispanica contineri, vel inde paretur, quod eadem natio ex iisdem moribus plerumque exosa populis sit exteris. Quo pertinet aliud simile: *Hispanicum est, Hispanicum videtur, quoties vel de inauditis, vel nondum visis, vel a moribus nostris maximè alienis loquimur.* Caſam is, qui Hispanorum ritus, conſuetudines, mores & vitæ rationes paulum inſpexerit, nullo negotio ſcire poterit. Longis enim parasangis Hispanica ab aliis Europæis diſferunt. De ipsa Hispania duo potissimum circumferuntur, quorum alterum ex penuria, alterum partim ex penuria, partim ex abundancia oritur. Penuria hoc ostendit: Si mundus aliquando igne fatali deslagraturus est, flamma ejus, ob defectum pabuli, citius extinguetur. Conſtat fatis, Hispaniam sylvis carere umbrosis, ideoque & ligna & carbones paſſim libra appendi folere: ita rara exiftit lignatio; ita care focus lucens & calida fornax emitur. Abundantiae una & inopiae argumen- tum fit, cum dicunt: Si Hispania tot hominibus gauderet, quot Gallia, & Gallia tot equis abundaret, quot Hispania: ambo regna forent heata. Paucitas incolarum Hispanicorum unde ortum duxerit, Hornius demonſtrat, nominans primum colonias, quas in Americam & Indiam Orientalem frequentissimas miferint; deinde bella Italica & Belgica, quæ omne juventutis robur exhauerint; tum proscriptiones Judæorum atque Maurorum. (2) Equorum fecunditatem jam ſuo ævo Justinus in Lusitanis juxta fluvium Tagum, & in Galicia vicina obſervavit, eosque fœtus uberes ab equabus vento concepi, inter fabulas retulit. (3) *AG-
dibus usque; Usque ad Gades;* Latini olim dicebant, quoiescunque locum orbis extremum, ſeu extremitas mundi fines significaturi erant. Quippe credebant, illuc terrarum terminari tellurem, & ſolis equos submergi aquis, celo vesperante. Unde Juvenalis: *Omnibus in terris, quæ ſunt a Gadibus usque Auro-*

ram

ram & Gangem, pauci dignoscere possunt vera bona, (4) *Funda Baleares, & fundatores Baleares*, pro optimis, quondam in summa laude fuerunt; idque nominis ab Insulis Balearibus, quæ hodie Majorca & Minorca, deducunt, quæ vel a Græco βάλις, quia habitatores earum jecerint funda magnos lapides peritissime omnium; (5) vel a voce Punica appellationem fortuntur. (6) Murciae amenitas sua nomen *horti deliciarum*; Andalusiae sua fertilitas *nomen granarii*; Biscajæ copia ferri nomen *officinæ Vulcani*, *Armamentarii Martis*, item, *Propugnaculi Castiliae* impostut. De Hispali, urbe principe Andalusiae, quod dici solet: *Qui non vidit Seviliam, non vidit mirabilia*; Nec non: *Cuius Deus faveat, ei dat dominum Hispalis*, tonsoribus quoque notum est. Ejus enim ædes (ut taceam urbis magnificentiam & opulentissimum totius Europæ Emporium) totidem tempora, Basilicæ, domusque regiæ apparent. (7)

Ad Gallos quod attrinet, de his proverbia vulgari sermone, quæ jam cito-
bo, jacintur. *Reges Gallia non moriuntur*. Quod de perpetua successione Regum intelligas, & ne illa immortalitas labefacteretur, aut objectionibus sit obnoxia, morituri Regis halicum gens imperii æmula anxie attendit: quo, priore animam efflante, posterior majestatis Gallicæ consors, in camera contigua, illico Rex proclametur, quasiæ animæ evolanti anima remanens supponatur. *Abbas St. Hilarii Pictorii* (Poictiers) potest concubere cum *Regina*. Rex ipse innuitur in persona Abbatis, urpote qui inter Canonicos St. Hilarii Abbas clivit. *Lilia non nent*, hoc est, fœminæ in regni Gallici administrationem non admittuntur, idque ex lege Salica, cui, tanquam unico fundamento innititur mascula Regum Francia successio, jam inde a Pharamundi temporibus, cujus ætas in se-
culum a Christo nato quintum incidit. (8) Hinc successio monarchica ratione sexus in Francicam seu agnaticam, & Castilianam seu cognaticam distingui-
tur. (9) In Provinciis Gallicis ager Aurelianensis *granarius*, ob suam feracita-
tem; Campanensis itidem *granarius* & *celia* propter vini abundantiam & frumentorum opulentiam; Piccardiensis *borreum Parisense*, in qua terra luxurianti-
tota horrea largo replet scenore; Turonensis per amenissimos suos tractus
hortus Gallia; Burgundicus ex ubertatis dulcedine *conditorum Parisiensis* vocantur. Secus de Normannis judicant, cum deceptorem, circumscriptorem, mendacem, quique parum religiosa fide promissis stare amet, volunt exprimere. Dicunt enim: *Normannus est*; quod an & quatenus veritati sit consentaneum, staruere non autim. *Aurum Tolosanum*, idem est, ac res calamitatem exitiabilem secum ve-
hens, res perniciosa, & postfieri plus noxae, quam lucri afferens. In Gal-
lia Narbonensi Tolosa urbs celebratissima priscis seculis habuit templum sacro-
sanctum, largissimis thesauris refertum, vicinis maxime donaria ibidem dedi-
cantibus, quæ nemo ausus est attingere. (10) Quare cum Q. Cæpio Consul il-
lud oppidum diripiisset, quisquis ex ea direptione aurum attigit, misero crucia-
bilius exitu periit. (11) Locum adhuc ostendunt, quo olim lacus fuit, in quem moniti a Sacerdotibus suis projeicerunt Teetosagi aurum rapinis, ac imprimis e templi Delphicis, Duce Brenno, direptione quæstum, ut averterent a se pesti-
lentiam, qua affligebantur. (12) Belga illud Horatii: *Cœlum, non animum* mutant, qui trans mare currunt, sermone reddituri, dicunt: *Si sultum mittas Montem Pessulanum* (Montpelier) *redux factus, manet taurus*. Floret enim in Mon-
te illo Academia, cuius tum alia studia celebrantur, tum præcipue Medica. (13) *Naviges in Massiliam, πλεύεις εἰ τὴ οὐσίατο*, de homine mentis non integræ, qui vero limæ ingenii subjiciendus est. Non Massiliam Libycam, ut contendunt Ritterhusius, (14) Ludovicus de la Cerda, (15) & Isacius, (16) sed Gallicam Erasmus recte intelligit. Illa namque mollitii affluerebat; hæc studiis elegantioribus, sic, ut Strabonis ævo nobilissimi Romani discendi cupiditate pro Atheniensis peregrinatione Massiliam amplectenterunt, (17) laudique duxerit Agricolæ Tacitus, quod sedem & magistrorum studiorum Massiliam habuit, locum Græca comitate & provinciali parsimonia mistum & bene compositum. (18) *Si quis bre-
uem adumbrationem totius orbis videre velit, nusquam id melius videbit, quam in Lutetia
Parisiorum*. Ita magnificentissime laudatur Gallorum urbs, quæ habet, quicquid deli-

FK II d 1592 x 2983764

delitiarum orbis habet, quicquid avert oculi, & mens ementis optet: quam non urbibus, sed propter amplitudinem rerum omnium affluentiam, provinciis Franciscus I. Rex Galliae, accensendam putavit. Etiam terves ejus proverbio locum fecere. Sic enim Galli: *Ad perfectionem adi sacra, chorus Belloraci, dimidium templi subter fornicios Ambiani, facies porta templi Remensis, Campane Carnutii, & turres Parisorum requiruntur.* Honorem Academicum indigno collatum vulgari lingua effuerunt: *Insigne urbis Avarici (Bourges) gerit.* In eo quippe asinus in cathedra exsculptus vifitur. Arauioni quoniam sola poma Auriaca deesse dicuntur, proverbio jaēctatur: Arausio caret auriaco, En Orange il n'y a point d'Orange. *Fames Sancerrana,* quae est dirissima, & cum Samaritana, Jerosolymitana, & Saguntina (qua de supra in Hispania mentio fieri poterat) comparanda, a Sancerra in Bituricensi agro originem appellationis traxit, eo quod obsessa ab hostibus, a cibis non humanis ad carnes etiam humanas venit. (19) *Risores* dicuntur cives Cæsaroduni (Tours) quod judicium nimia, vel saltē effusa comitas ipsi peperit. *Nisi Lutetia habet sui similem, Lugdunum non invenerit comitem,* i.e. Lugdunum multis partibus Lutetiae æquiparatur. Vix credo, inquit Sincerus, reperi urbem tam varia amoenitate pollentem. Sive ex imo in superiora & æqualia respicias: five ex summo inferiora sub- & circumjecta contempleris, oculos animumque expleri nequibus. Magnum est, quod dico, sed audacter tamen affero, æque commodo loco vix aliam Europæ ullam positam esse urbem. Antiquitus ibi ara Lugdunensis erat celebris, & ex eo *Lugdunensis ara*, pro reformato, ponebatur. Nam oratores ad eam certabant ea conditione, ut vietus lingua propria, aut spongia madida minimum elueret scripta sua, ni præferret aut virgis cædi, aut mergi in proxima præterfluente. *Si Deus habitaret in terris, Biterris (Beziers) sedem collocaret.* Scilicet Veneres omnes Cupidinesque cum Gratiarum choro in colle eo, cui imposita est urbs, habitant. *Si Gallia esset ovum, Santonia (Santonge) vitellus esse posset.* Quo verbo illius telluris pinguedo notatur. *Ambianum (Amiens) occupatum more vulpino, recuperatum more leonino.* Occupabatur stratagemate ab hoste, recipiebatur vi militari a Rege Henrico IV. 1597. Picquinacum *Anglorum Schiboleth* nuncupatur. Etenim vocabulum Piquigny cladem a Gallis passi Angli effari claris literis haud poterant, Pecqueny pronunciantes: sicut in sacra Historia Euphratae ad vadum Jordanis pro Schiboleth profabantur Siboleth. *Si Gallia esset mea, Metis eam consumerem:* Id quod communitatem clarissimæ hujus urbis fatis manifeste probat. Bituriges (Berry) textrinæ & negotiatio pannariæ magnopere invigilant. Hinc vervecem metropolis in insignibus gestat, & incola nomen joculari sunt adepti, *verveces Bituriganæ, seu de Berry.* Arx Ambasæ (Amboise) quia propter aëris salubritatem Rex & regia Domus in ea certo tempore morantur, *præsepe sobolis regia;* Bleſæ (Blois) propter educatos in eo loco Principes quosdam, *uros regia;* at Arx Bleſensis, quæ multorum Regum funera vedit, *tumulus Principum;* quemadmodum Nannetes (Nantes) largis soli proventibus gaudens, *ocula Britannicus* vocitari confueverunt.

Scholæ patriæ valedicturi boño cum DEO die crastino, duo discipulorum nostrorum,

I. JOHANNES ERHARTUS MOECKELIUS,

II. DAVID KRAUSIUS, ut specimen aliquod stili suis valedictionibus præmitterent, more in scholis usitato, duo sibi elegerunt proverbia, quorum sententiam sermone ubiore magis enuclearent. Discedentibus faustos viales aprecabunt indidem Cygnea,

CHRISTIANUS FRIDERICUS EHIUS. Et nos amore nostrorum adducti, vovemus pariter: Vivant discedentes juvenes, florent, & patriæ communi ali quando magno sint emolumento! P. P. Cygneæ d. 27. Maij, Anno Chr. 1715.

(1) Curiosus Antiquarius. (2) in orbe Pol. p. 59. (3) l. 44. c. 3. (4) Sat. 10. (5) Diod. Sic. l. 5. c. 17. (6) Sam. Bochart. in Chanaan. l. 1. c. 35. Cellarius Geogr. antiqu. p. 160. (7) Quenstedt. de patr. illuftr. p. 4. (8) Horænius in orb. imper. p. 111. (9) Magnif. D. Rechenbergius in Lin. Philol. Civ. p. 172. (10) Strabo l. 4. p. 192. (11) Gellius N. A. l. 3. c. 9. Vadianus ad Melam p. 105. (12) Jod. Sincerus Itiner. Galli. p. 183. (13) Tappini in Proverb. Germ. (14) ad Opp. 3. Hall. (15) ad 4. Ann. Virgil. (16) Itiner. Galli. Narb. p. 59. (17) Strabo l. 4. (18) in vita ejus. (19) Sincerus l. c. p. 99.

II d
1592

D

VI

Farbkarte #13



AD

LECTIONES IN NOSTRORUM, MINATORUM,

*CRASTINO,
AM MATUTINAM,*

*IN
RIO MAJORI,*

*SOLENNI
BENDAS,*

*DNN. INSPECTO-
OS, FAUTORESque
JUVENTUTIS
MANTER
IVITAT*

ANDREAS Vinhold/ R.

*GENÆ,
FIDERICIANO.*

*graphica in
Spania Galliag neta*

BIBLIOTHECA
MONICKAVANA

